

*Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.*

✠ Lécctio sancti Evangélii secúndum Mattháeum 1, 18-23

<sup>18</sup> Iesu Christi generátio sic erat.

Cum esset desponsáta mater eius María Ioseph,  
ántequam convenírent  
invénta est in útero habens de Spíritu Sancto.

<sup>19</sup> Ioseph autem vir eius,  
cum esset iustus et nollet eam tradúcere,  
vóluit occúlte dimítere eam.

<sup>20</sup> Hæc autem eo cogitánte,  
ecce ángelus Dómini in somnis appáruit ei dicens:  
«Ioseph fili David,  
noli timére accípere Mariám cóniugem tuam.  
Quod enim in ea natum est,  
de Spíritu Sancto est;

<sup>21</sup> páriet autem fílium,  
et vocábis nomen eius Iesum:  
ipse enim salvum fáciat pópulum suum  
a peccátis eórum».

<sup>22</sup> Hoc autem totum factum est,  
ut adimplerétur id, quod dictum est a Dómino  
per prophétam dicéntem:

<sup>23</sup> «Ecce, virgo in útero habébit et páriet fílium,  
et vocábunt nomen eius Emmánuel»,  
quod est interpretátum «Nobíscum Deus».

Verbum Dómini.